



**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. II. Resolvitur altera pars quæsi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

gione comprehensivâ, quâ Angelus perpetuò cognoscit seipsum, etiam perpetuò cognoscit DEUM, quæ sui causam.

Tertie partis ratio est primò. Quòd multa sunt objecta, quæ defectu existentie in actu secundo non semper, sed solum successivè, quo modo in ætærum natura ponuntur, Angelo representantur. Secundo. Quia species subjicitur libero usui & applicationi ipsius Angeli: Unde potest illas ad huius vel illius objecti representationem quoties, quomodo, & quando vult, applicare.

§. II.

Resolvitur altera pars quesiti.

Pro alterius quesiti resolutione præmittendum: sensum esse, an Angelus possit objecta non tantum in se & materialiter multa, sed etiam formaliter, & ut multa sunt, simul intelligere. Quod tunc demum sciret, si plura objecta, vel plures cognitiones Angeli ad se non subordinarentur: objecta quippe inter se coordinata (ut patet in scientiis) unum formaliter objectum; cognitiones quoque subordinate unam formaliter cognitionem constituent, juxta illud: Ubi est unum propter aliud, ibi est unum tantum. Hoc posito.

CONCLUSIO. Angelus non potest intelligere multa ut multa. S. D. hic a. 2. Ratio est. Angelus vel intelligeret multa ut multa per unum actum, vel per plures. Neutrum potest dici. Non per unum actum, quia sicut ad unitatem motus requiritur unitas termini, ita ad unitatem operationis requiritur unitas objecti; sed objectum non esset unum ex hypothese; ergo nec operatio. Non etiam per plures actus: quia idem subiectum vel potentia simul in actu perfecto pluribus formis adequatis, & ultimis actualitatibus ejusdem ordinis & generis compleri non potest, ut ex Philosophia supponitur; sed intellectio est ultima actualitas, & terminus potentie intellectivæ; ergo intellectus plures actus intellectiois ejusdem ordinis & generis simul elicere non potest.

Dixi ejusdem ordinis & generis. Nihil enim obstat, quin Angelus simul plures cognitiones subordinate de objectis diversi ordinis itidem inter se coordinatis possit elicere. Ita Angelus de facto DEUM intelligit per beatificam visionem, sese per suammet substantiam, & alia à se per species superadditas; quæ cognitiones non minus, quam objecta ipsarum, cum inter se sint coordinata, ideo Angelus non plura, ut plura, sed per modum unius censetur cognoscere. Species quippe & cognitiones inferiores subordinantur superioribus, veluti ope-

rationes sensuum exteriorum subordinantur operationi sensus interni; & species superior eminenter in se continens inferiorem est ratio determinativa ad usum speciei inferioris. Atqui Essentia Divina, nec non propria essentia Angeli est species superior in se eminenter continens species intelligibiles inferiores: ergo Angelus Divinam essentiam clarè videns, & seipsum comprehendens, exinde ad usum aliarum specierum intelligibilium, ac variorum objectorum cognitionem simul & semel determinari potest.

Hinc etiam dabis disparitatis rationem, cur Angelus plures species intelligibiles in actu primo, non item plures cognitiones adequatas in actu secundo habere possit.

Ratio enim est: quòd species intelligibiles in actu primo habeant se per modum habitus & formæ incomplete; intellectiones verò per modum ultimæ actualitatis: non est autem inconveniens, plures formas incompletas concurrere ad unum principium totale compleendum: est verò absurdum, dari ejusdem potentie plures terminos completos & ultimos, e jusdem ordinis & rationis, dum quilibet eorum esset, & non esset ultimus, seu adequatus.

Quæres, utrum in intellectu Angelico dentur habitus? Respondeo, Nullos dati habitus (1.) scientiarum, vel artium: dari tamen posse habitus (2.) opinionis & fidei acquisitæ, in ordine ad cognoscenda futura contingentia, & cordium secreta.

Ratio primi est, quòd habitus scientifici dantur ad tollendam difficultatem, quam patitur intellectus in deducendis conclusionibus à suis principiis, & habitus artificiosi ad sublevandam difficultatem, quam patitur idem intellectus in introductione formæ in materiam; sed intellectus Angelicus in neutro patitur difficultatem, quippe qui exactissimè penetrat conclusiones in suis principiis, & effectus in causis; optimèque novit, quo modo forma artificialis conveniat suo subiecto: ergo.

Ratio secundi est: quia difficultas, quæ reperitur in formidine oppositi, cum assentimur, vel conjecturaliter propter quædam indicia & signa, vel propter auctoritatem dicentis, superatur per habitus opinionis & fidei acquisitæ: sed Angelus in assensu circa futura contingentia, vel secreta cordium, quandoque patitur difficultatem, & formidinem oppositi: ergo circa talia objecta habere poterit habitus opinionis & fidei.

ARTICULUS II.

An Angelus intelligat, discurrendo, componendo, dividendo?

SUMMARI A.

1. Exponitur status questionis.
2. Angelus nihil intelligit discurrendo.
3. Considerat conclusiones in principis.
4. Etiam si sua specie utatur inadæquatè, non tamen cognoscere potest illativè.
5. Disparitas inter species Angelicas, & anime Christi.
6. Quomodo sine discursu in effectu naturali Angelus cognoscat causam supernaturalem?
7. Quomodo demones in judicando decipi possint?
8. Possint eadem cognitio respectu diversorum objectorum esse evidens & inevidens, naturalis & supernaturalis?

M m 3

9. Quo-